

comune, et aliam singularem personam, quod facta petitione vel requisicione de petitis ore tenus per dominium Tergesti mittantur et mitti debeant veterani, videlicet homines antiquiores civitatis Tergesti qui haberi poterint, ad videndum dictam possessionem oculata fide, quibus dari debeat sacramentum de veritate dicenda quicquid sciunt de possessione vel de possessionibus petitis, et secundum quod ipsi veterani¹⁾ dicent vel determinabunt ita per dominium Tergesti in predictis procedatur, et quod testificatio ipsorum alterariorum habeatur et intelligatur pro probatione defensione comunis. ¶ Salvo quod, si persona se defendens haberet aliquod instrumentum vel alia iura²⁾ sive probationes, quod ipsis uti possit et ea producere et se defendere, // et dominium teneatur ipsam personam se defendentem audire in iuribus suis, et sententiare in predictis prout iure fuerit secundum ordinamenta Tergesti.

Cap. XXV. De electione procuratoris male pagatorum et eius notario.

S tatuimus quod in electione procuratoris male pagatorum et eius notarii procedatur in hunc modum: videlicet quod dominium quod pro tempore fuerit congregari fatiat maius consilium, in quo dentur sex brevia, videlicet tria pro tribus procuratoribus male pagatorum et tria pro tribus notariis eligendis. ¶ Et quicumque habuerit ex dictis brevibus eligere teneatur unum procuratorem vel notarium meliorem quem crediderit pro comuni utilitate, et ipsis sex sic electis, tunc balotentur in maiori consilio ad piscides et balotas singuli, scilicet unus contra alium, et ultimus procurator qui optinebit sit firmus procurator, et ultimus notarius qui optinebit sit firmus notarius male pagatorum. ¶ Qui vero procurator cum suo notario sic confirmatus habeant eandem auctoritatem exigendi condemnationem a dictis male pagatoribus quam habent procuratores comunis, et dominium quod pro tempore

¹⁾ alterani. ²⁾ Aggiunta marginale.